

## Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 75

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Heinchus divina favente clementia rex. Notum sit omnibus fidelibus nostris praesentibus scilicet et futuris, qualiter venerabilis abbas nomine Reginoldus nostram maiestatem adiit suppliciter obsecrans, monasterio suo, quod situm est in loco qui dicitur Mimeleuo in ripa fluminis Unstrodae, nostra munificentia confirmationem fieri super ipso loco vel rebus et locorum pertinentiis in dei nomine ibi collatis. Cuius petitioni per interventum dilectae coniugis nostrae Cunigundae videlicet reginae ut oportuit annuentes confirmamus et per hoc regiae maiestatis insigne prefato loco corroboramus preceptum immunitatis et libertatis, vel quicquid ibi a sanctae memoriae antecessore nostro Ottone secundo dono, concambio sive scripto traditum et concessum sive a caeteris Christi fidelibus aliqua fuit aut erit oblatione collatum. Statuimus etiam regia id maiestate sancientes, ut idem iam dictus locus et abbas cum fratribus hominesque illic habitantes aut ibi pertinentes tali iure ac stabilitate deinceps perfruantur, quali utuntur caetera loca nostri iuris Vuldensis, Corbiensis et Augensis, sintque illis per omnia iure stabilitatis similes et aequales ad regulam sancti semper Benedicti communiter viventes, et nulli umquam aliquod terrenum servitium debeant, sed cuncta, quae habeent vel in posterum habituri sunt, abbas cum monachis ad eorum necessaria prout eis visum fuerit constituat atque disponat. Dedimus etiam eis liberum electionis arbitrium abbates per decessiones, remota omnium infestatione, eligendi. Advocatos pro sua electione constituent aut, si improbi fuerint, commutando et alios pro eis substituendo deponant et electos sine alicuius contradictione securi habeant. Et ut haec nostra concessio vel confirmatio stabilis et inconvulsa permaneat, hanc nostri praecepti paginam manu propria roborantes sigillo nostro imprimi iussimus. Signum domni Heinrichi regis invictissimi. Eigilbertus cancellarius vice Willigisi archicapellani recognovit. Data XVI kal. decemb. indictione I, anno incarnationis dominicae MII, anno vero domni Heinrichi regnantis I; actum Radespone.